



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XLVIII. De modo recusandi iudicem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

Verum si contra excommunicationis sententiam nihil rationabile fuerit a conquerente probatum, & idem super iniusta conquestionis molestia per pœnam ad interesse vel alias secundum superioris arbitrium condemnetur, nisi forsan & ipsum probabilis error excuset: & super eo, pro quo iusta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam, vsque ad satisfactionem condignam inuiolabiliter obseruandam.

Si vero iudex suum recognoscens errorem paratus sit talem reuocare sententiam, & is, pro quo lata fuerit, ne absque satisfactione reuocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo merito \* possit dubitari: & tunc, sufficienti cautione recepta quod coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipso, iuri parebit, excommunicatum absoluat, sicque pœnæ præscriptæ minime subiacebit: cauens omnino ne voluntate peruersa in alterius præiudicium mentiaturo errorem, si districtiōnis canonicæ vult effugere vltionem.

## XLVIII.

Cum speciali sit prohibitione prouisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, promulgare præsumat, volentes etiam prouidere, ne forte commonitus, frustratoriæ recusationis vel appellationis obtentu, monentis declinare possit examen, statuimus, quod si allegauerit se iudicem habere suspectum, coram eodem causam iustæ suspicionis  
affi-



ANNO  
CHRISTI  
1115.

assignet. Et ipse cum aduersario, vel, si forte aduersarium non habeat, cum iudice arbitros communiter eligat: aut, si forte communiter conuenire non possunt, eligant absque malitia ipse vnum, & ille alium, qui de suspicionis causa cognoscant: & si nequuerint in vnam concordare sententiam, aduocent tertium, vt quod duo ex ipsis decreuerint robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exequendum, ex iniuncto a nobis in virtute obedientiæ sub attestatione diuini iudicii districto præcepto, teneri. Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua iurisdictione iudex vtatur. At ipsa probata legitime, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittat, vt in eo ipse procedat secundum quod fuerit procedendum.

Porro commonito ad appellationem conuolante, si eius excessus euidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo legitime fuerit manifestatus, cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiae institutum, non est prouocationi huiusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne friuolæ appellationis diffugio appellans iudicis processum impediatur, coram eodem probabilem causam appellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari: & tunc, si habuerit aduersarium, infra terminum, secundum locorum distantiam & temporis qualitatem & naturam negotii ab eodem iudice moderandum, appellationis causam



prosequatur : quam si prosequi non curauerit , ex-  
tunc ipse iudex , non obstante appellatione , proce-  
dat. Nullo autem aduersario comparente , cum ex  
suo iudex procedat officio , appellationis causa co-  
ram superiore probata , superior suæ iurisdictionis  
officium exequat. Sed si appellans in eius proba-  
tione defecerit , ad eum , a quo ipsum malitiose ap-  
pellasse constiterit , remittatur.

Ceterum has duas constitutiones præmissas no-  
lumus ad regulares extendi , qui suas habent obser-  
uantias speciales.

## X L I X.

Sub interminatione diuini iudicii penitus inter-  
dicimus , vt causa cupiditatis nullus audeat excom-  
municationis vinculo aliquem innodare , vel absol-  
uere innodatum , in illis maxime regionibus , in qui-  
bus ex consuetudine , cum excommunicatus absol-  
uitur , pecuniaria pœna mulctatur : statuentes vt  
cum excommunicationis sententiam iniustam fuisse  
constiterit , excommunicator ad restituendam  
pecuniam sic extortam per censuram ecclesiasti-  
cam compellatur : & , nisi probabili fuerit errore  
deceptus , tantumdem iniuriam passo persoluat : &  
si forte soluendo non fuerit , animaduersione alia  
castigetur.

## L.

Non debet reprehensibile iudicari , si secundum  
varietatem temporum statuta quandoque varien-  
tur humana , præsertim cum vrgens necessitas vel  
euidens vtilitas id exposcit : quoniam ipse Deus ex  
iis , quæ in veteri testamento statuerat , nonnulla  
mutauit in nouo.